DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis sexto mensis Decembris, anno Domini M. DCC. XLII.

M. URBANO DE VANDENESSE, Doctore Medico, Præside.

An à globulosâ sanguinis parte ad cutem appellentis, Æthiopum color?

I.



CIENTIÆ beneficio homo ab homine differt. Hîc certi si quid reperias, illîc ambigua, dubia, incerta quàm plurima; quidquid agas, hoc stabit inconcussum. Medicam artem aspice, nihil ipsâ necessarium magis, nihil ipsiùs objecto clarius, nihil fine superius. Certa sanè ac permulta ex propriis Medicinæ principiis deduces; horum ope præsens servatur sanitas, restituitur amissa; hunc scopum attingere ambienti, quot labores! Experientiæ filo ducatur ars, ita ut mutuas sibi præstent manus, ars usu firmetur, usus arte dirigatur. Errant tamen, inquiunt, & melioris notæ Medici; nec Dii sunt. Invicem pugnantia proponunt, fuco sistematum obnubilantur Medicinæ præcepta, quid ad Medicinæ certitudinem? Mussitas? His acuitur ingenium, majora molitur, cuncta strictè trutinâ pensitantur; ex his par Medicinæ ac alteriùs scientiæ emolumentum. Naturæ penetralia adire altiùsque scrutari Medicum decet, Physico - Medici tunc partes agit, nullum nisi Physicis congruens ratiociniis admittit sistema. Autopsiæ nec repugnet quod circa animalem versatur œconomiam. Hoc animo Æthiopum coloris causam inquire, varias expende opiniones, unam statue, experimentis ac ratiociniis firma. Naturæ ludibrium cutis colorem inattentus ne existimes, multigenam potius obstupesce varietatem; albo Europei, nigro Æthiopes, flavo Sinæ, rubro Caribæ colore tinguntur. Albidiore adhuc splendore nitent Angli; differunt à Gallis Hispani, hi à Lusitanis; cuique genti suus à naturâ insitus est color; non minùs colore quàm ingenio à se invicem discrepant variarum regionum incolæ, non mens eadem, non vultus idem, non color unus. Stupendi Nigritarum, seu Æthiopum, coloris causam ancipitem reddit opinionum diversitas; Tot enim capita tot sensus,

II.

ÆTHIOPUM nomen si requiras, à Græcis ipsum desume, à verbo αἴθω cremo, & ὤψ, quod significat oculum, faciem vel aspectum; torrentur enim perenni solis aspectu, ac vicinitate. Æthiopes à Cain, Adami filio primogenito,

* Hanc opinionem confutavit de re litterariâ vir bene meritus De Tournemine Reg. Sc. Acad. Soc.

* Malpighi.

propter fratricidium, nigris tincto coloribus originem trahere, sunt qui autumant * ast absit sacris obversa codicibus opinio. A tribus Noe filiis omne disseminatum fuit genus humanum. An ex Chanaan maledicto ortum ducant, credere nefas, alia fuit ipsius posteris inflicta pœna, servitus. Alii ex peculiaribus principiis sanguini commixtis huncce eruunt colorem, Nigritarum sanguis exploratus, idem ac Europeorum. Alii ex actione imaginationis matris in fœtum, nigritiei causam tahunt. Quædam prægnans statuam nigram Ægiptam, naso complanato, vidisse dicitur, parem peperit infantem; isto ab aliis viso homine multi nigri nati sunt: inde populus postea emergit. Talis opinio stare nequit; ex recentiori Physicâ nullam adesse matris in fœtum imaginationis actionem, probantia desumuntur argumenta. Spissum nigrumque succum cuticulam inter & corpus reticulare effusum, nigritudinis causam accusat celeberrimus Anatomista * Stat claudo pede hæc sententia; talis succus gratis supponitur, nullis demonstratur experimentis. Præ aliis caput extollere, videtur eorum opinio, qui partim in hepate, partim per cutis vasa bilem secerni supponunt, quæ Icteri speciem, ut dicunt, Nigri producere valet; hanc nigram esse asserunt, sed quid ad rem? Ubique terrarum iisdem vacat operibus bilis; nigritiemque semper acquirit, diuturnam trahens in cistide fellea moram. Œconomiæ animali congrua magis statuatur hypothesis; humani corporis partes ab humoribus, quibus irrorantur, colorem mutuari, omnium partium lotio; inflammatio, icterus, morbi, metûs, iræ, lætitiæ effectus evincunt; talis color qualis humor, inquit Hypocrates; at quot modis fluidorum mutatur indoles, totidem variant solida; cibo, potu, climate &c. Constans Phœnomenon causæ ne fugaci tribuas; omnis regionis incolarum idem integumentorum apparatus, eadem vasorum distributio; ast non æqualis diameter, perennem humorum *deviationem* in retis cutanei vasculis adjuvat aut arcet; devii enim sunt humores quoties locum lymphæ dicatum occupat pars sanguinis rubra. Amplior hîc, strictior illîc observatur diameter. In populis albo tinctis serosam partem admittunt illa vasa, in nigritis verò sanguinem propriè dictum salino-sulphureis fœtum moleculis. Ancepsne hæres? certior fiat mens ad Nigritarum naturam, sortem & conditionem paulisper attenta. Ea est ut subdeurente cœlo vitam degentes ipsius, fere nudi, actioni exponantur; inde cutis magis dilatantur vasa; ad extremam usque cutis superficiem propellitur sanguis; probant partium corporis, ignis ardori expositarum, maculæ rubræ, ne dicam nigræ; probant & rusticarum æstivo tempore solaribus radiis continuò deustæ facies, manus, & aliæ corporis partes, ardorem solis perpessæ, ad nigritiei speciem tendentes. Duris, nec fere interruptis vacant operibus Æthiopes, inde subtilioris transpiratorii humoris copiosius effluvium, à vasorum dilatatione ita adjutum, ut crassiore hujusce humoris materiâ, sanguini ad cutem appellenti, immiscendâ, huncque humorem pinguem Nigritarum cuti adhærentem, formandâ, remanente, subtilior omninò avolet & eliminetur. Ad id operis conferunt etiam alimenta plerùmque salina ac farinacea: pane veluti endemio vescuntur. Quis enim ignorat radicem cujusdam plantæ, (Maniok) cujus succus à naturâ suâ venenum, arte fieri cibum Æthiopibus frequentiorem (Cassavre.) Variis piperum speciebus sua condiunt alimenta, spirituosos ebibunt liquores; hinc juxta fluidorum morem perniciori agitantur motu corporis liquores, minima ac tenuissima promiscuè subeunt vasa, eaque quo tinguntur inficiunt colore; vasorum parietes cum humoribus unum & idem fiunt, nec mirum; exemplo sunt pulli rubiâ nutriti, quorum ipsamet ossa colore rubro insigniuntur.

III.

ÆTHIOPUM cutis vasa facili negotio sanguinis impulsui cedere, hìc probare non abs re erit. Corporis involucrum cutis, triplici constat membranarum serie, cute propriè dictâ, corpore reticulari, & Epidermide seu cuticula. In-

tricatissimo fibrillarum tendinearum, membranearum, nervearum & vascularium textu componitur cutis. Ex extremis nervorum cutaneorum filamentis, penicillorum ad instar, in superficie cutis externa protractis, papillæ exurgunt, quæ dicuntur nerveæ; cutem quasi horridam reddunt, diversisque in partibus inæqualiter crassam; tactus organum ex his deducas papillis. Extrema arteriarum venarumque capillamenta retis in modum disposita, per totam distribuuntur cutis peripheriam, papillarum interstitia replent, vasculare rete seu corpus reticulare constituunt; ita exilia sunt illa vasa ut humori tantùm seroso ac tenui devehendo sint destinata. Epidermis seu cuticula intus lævis, extrinsecùs squammulis seu lamellis cohærentibus instructa, cutis efflorescentia papillarumque extensio habetur; corpori reticulari firmissimè adhæret, à materiâ ex papillis cutaneis pluente hanc oriri affirmant Anatomici. * Tenuissimæ telæ speciem exhibet epidermis, organum tactûs temperat. Eam *diaphanam* omninò esse ne existimes; Æthiopum cuticula contrarium edocet; suum tamen ad cutis nitorem ac lævitatem simbolum confert: ast à nimiâ cutis Æthiopum laxitate, laxiorem enim ipsis, sic & Septentrionalibus populis strictiorem cutis compagem esse apud omnes constat, facilior in ipsiûs vascula impetus sanguinis depromatur. Ab humoribus retis vascula percurrentibus cutis colorum modidificatio, mutari colores à mutatâ vasorum mole, figura, verbo fluidorum & solidorum à variâ superficie ex Physicis certum; nihil enim aliud est color, quàm radiorum luminis in corporis alicujus superficiem incidentium, & inde diversimodè reflexorum effectus, quidquid ergo mutabit superficiem, mutabit & reflexionem diversimodè ergo afficietur visûs organum à radiis luminis effluviis mobilissimis, summè elasticis, ac subtilibus è sole jugi fluxu dimanantibus; Quot refracti radii, quot reflexi, convergentes, aut divergentes ab auctâ aut imminutâ resistentiâ, ast superficiem solidorum mutat humorum deviatio inde Nigritarum coloris perennis causa, dubitas? Tegumenta Nigritarum scrutare.

* Winslow.

I V.

CLAUDI Claudos gignunt, Gibbosi Gibbosos procreant, à myopibus myopes generantur, lue venereâ infecti venereâ labe contactos pariunt infantes. Arthritico dolore laborantes ex arthriticis nascuntur; hic ocellis à cæteris distingui Sinas, illìc à forti fortem, ab imbelli imbellem, ducere originem animadvertimus, variisque vultûs lineamentis hujus vel istius familiæ principes noscuntur. Sic jure hereditario varias corporis animique dotes patiuntur mortales, quid mirum ergo Nigritam ex Nigritâ nasci; quid mirum filios iisdem dispositionibus ac parentes fieri participes, quæ rerum non-naturalium usu & actione augentur ac foventur; quâ lege quove mechanismo traducantur hæ dispositiones, hoc opus hic labor. Quòd ope humoris ovum tempore generationis fæcundantis, solidorum communicentur morbi, illud, inter arcana, quæ sibi soli servavit Deus, meritò repones. Degenerem fieri necessum esse Æthiopum colorem frigidiores cum incolunt regiones; ex eo præcisè patet quod eodem sub cœlo non vivant, non eundem solis patiantur æstum; frigori constringuuntur vasorum extrema; non iisdem nutriuntur esculentis, non tam vividus humorum motus; ex constrictione vasorum minori quantitate avolat limpha, majori copiâ immixta reliquo sanguini manet; sanguinis rubræ parti minor conceditur aditus; variat superficies, mutatur color. Eâdem de causa manuum palmarum plantarumque pedum à cæteris corporis partibus discrepantia; à laboribus obliterantur pori cutis, obdurescuntque partes, ita ut soli limphæ sit transitus. Ast undenam hominum mulorum color. Sic appellatur à nigro & albâ, vel vice versâ, orta progenies ex vasis cutis diametro inæqualibus, mixtus fit color, utriusque parentis in ipsis vasa emergunt, unde quid tertium ex utroque pendens exurgit; pars vasorum ex nigro desumpta appellenti cedit sanguini; dum ex albâ mutuati tubuli ipsius conatui reluctantur.

V.

QUIDNAM Æthiopum morbi denunciant præter motum in humoribus maximè acceleratum ; fiunt plerique Tetanici ; a nimio spirituum animalium in nervos influxu Tetanos. Ab accelerato humorum motu jugis ille aliquod per tempus in musculos colli & dorsi succi nervei appulsus, unde contractio. Ex eodem fonte ipsorum ad venerem effrænata propensio. A minimo morbo splendida abraditur nigredo, ex mixtâ cum sanguine bile buxi induunt colorem Nigritæ : ne dum ab ipsa nitidior evadat nigrities nec amissum recuperant nitorem ni prius omnino bilis suas occupet sedes. Ast inquiunt lintea Nigritarum vivis admota corporibus colore quodam bilem referente tinguntur ; fricentur linteis collum & aliæ partes quorumdam hujusce regionis incolarum, opimo præsertim corpore, lintea iisdem inficientur maculis. Ast Galli aut Alii vitam eodem sole degentes non nigrescunt. Equidem, paululum tamen ipsorum immutatur vultûs color. Quod alimentorum, laborum, ornamentorum ve discrimen, quâ curâ à se illi solares expellunt radios, dum ad se decorandos alii oleosis nigrisque sese pingunt & obliniunt liquoribus. Capillis curtis, ac crispis ornatur Æthiopum caput, nullum ante nutritionem augmentum spera, cuivis capillo nutritioni sufficientem suppeditat annexus bulbus accretioni necessariam denegat ; limphâ subtiliori continuo avolante capillaria vasa auctione defraudantur. Infantes Æthiopum semialbos nasci absque causâ miraris, ut cujusvis gentis, sic fœtus Nigrita in utero matris undique obvolvitur ; inde omnibus par conditio ; per totum cutis habitum minimâ copiâ propellitur sanguis, pars limphatica cum globulosa pari fertur gradu, blando succo nutritur, atubi Æthiops fœtus in lucem editur tunc exponitur aeri calido : solis æstus cutem ipsam vasaque penetrat, hinc vasorum dilatatur diameter, cutis pori spatiantur, liberius fluere jam incipit limpha, quâ spoliatur globulosa pars ; eâ paulatim siccatâ, aliquot post dies nigrescit recens natus ; ubi progreditur infans alimentis solidis liquidis-ve insuper recensitis parentum induit naturam, fitque tandem perfectus Æthiops.

Ergò à Globulosâ sanguinis ad cutem appellentis, Æthiopum color.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Jacobus Belleteste.	*M. Antonius Ferrein, Professor Regius, è Regiâ scientiarum Academiâ & Chirurgiæ Professor designatus.*	*M. Andræas Josephus Seroz.*
M. Michaël Philippus Bouvart.	*M. Bartholomæus Murry, Chirurgiæ Professor.*	*M. Thomas Renatus Gasnier.*
M. Michaël Josephus Majault.	*M. Carolus Payen, Chirurgiæ Gallico idiomate Professor.*	*M. Philippus Davier de Breuille, Dotariæ Hispaniarum Reginæ, dum viveret, Medicus ordinarius.*

Proponebat Parisiis JACOBUS VERDELHAN-DES-MOLES, Mimatensis, Doctor Medicus Monspelliensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1742. à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1742.